



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

SESSIO VI.

ANNO
CHRISTI
1409.

Qua adueniente comparuerunt Anglici, & proposuit episcopus Salberienfis solenniter dicens pro themate; *Institia & iudicium præparatio sedis tuæ*: concludens quod habebat a rege & regno Angliæ potestatem magnam ad omnia necessaria in hoc sacro Concilio rationabiliter tractanda: & postmodum fuit dies assignata pro alia sessione, ad diem Sabbati, quartam mensis Maii proxime futuram.

SESSIO VII.

Dicta die Sabbati adueniente, seruatis solennitatibus & ceremoniis præmissis, quidam doctor Bononiensis Petrus de Anchorano dictus, solenniter respondit ad proposita per ambassiatores dicti Ruperti de Bauaria, licet absentes, & satis expectatos, ostendendo clare, quod proposita per eos erant manifeste friuola & nullius efficaciam, fundendo clare intentionem Concilii, & quod ipsi ambassiatores tendebant ad impedimentum sanctæ vnionis. Et postmodum fuerunt dati per Concilium commissarii & nominati pro examinandis testibus super propositis per procuratorem seu procuratores Concilii, & ad recipiendum instrumenta & probationes, &c. etiam in absentia & contumacia dictorum contendentium. Et ista die, dominus episcopus Ebroicensis celebrauit Missam in maiori ecclesia, in præsentia sacre Synodi: & fuit ordinatum quod aliqui eligerentur pro eundo ad regem Ladislaum, pro mitigando eum, &c. fuitque dies assignata ad diem Veneris proximam, scilicet decimam diem mensis Maii prædicti, pro alia sessione.

SESSIO VIII.

Qua die adueniente, seruatis solennitatibus & ceremoniis, vt supra, dictum est pro parte procuratoris vniuersalis ecclesiæ, & fuit requisitum, quatenus Concilium facrum vellet determinare & sententiare, &c. vnionem duorum collegiorum factam, fuisse & esse legitime factam, & facere vnum collegium, ratificare, approbare & confirmare; conuocationemque sacri Concilii per eos factam, fuisse & esse iuridice & legitime factam in loco ha-